DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

CHOLERA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

JOANNES ARMSTRONG WRIGHT,

Scotus,

CHIRURGUS.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVII.

22

PATRI SUO,

VIRO REVERENDO,

JACOBO WRIGHT,

UT TESTIMONIUM

PIETATIS, ANIMIQUE GRATI,

HOC OPUSCULUM,

LUBENTER OFFERT

FILIUS.

VIRO EXIMIO

JOANNI AITKIN, M.D. S.R.S.E.

&c. &c. &c.

SCIENTIA, MORIBUSQUE URBANIS

ÆQUE PRÆDITO,

QUO ANTISTITE

PRIMITIAS RERUM MEDICARUM,

ACCEPIT,

PROPTER BENEFICIA MULTA ET MAGNA

SIBI LIBERE COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM

DEDICAT

AUCTOR.

Mr. Graham
with compl.ts from
the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

CHOLERA

COMPLECTENS.

CHOLERA, quam nobismet nunc tractandam proponimus, etsi haud raro in Britannia nostra, aliisque cœlis temperatis, conspiciatur, regiones tamen tropicas multo frequentius infestat; quibus in terris, furore nondum subacto sævit, multaque millia, et juniores viribus fretos, senioresque, subita atque opinata morte, e medio rapit.

Nostra in regione, ut scripsit SYDENHAMUS, in Augusto mense apparet, atque se continens intra ejus limites, vix in priores Septembris hebdomadas evagatur. Nonnunquam tamen accidit,

PATRI SUO,

VIRO REVERENDO,

JACOBO WRIGHT,

UT TESTIMONIUM

PIETATIS, ANIMIQUE GRATI,

HOC OPUSCULUM,

LUBENTER OFFERT

FILIUS.

VIRO EXIMIO

JOANNI AITKIN, M.D. S.R.S.E.

&c. &c. &c.

SCIENTIA, MORIBUSQUE URBANIS

ÆQUE PRÆDITO,

QUO ANTISTITE

PRIMITIAS RERUM MEDICARUM,

ACCEPIT,

PROPTER BENEFICIA MULTA ET MAGNA

SIBI LIBERE COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM

DEDICAT

AUCTOR.

Mr Goodman

[illegible] grow

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

CHOLERA

COMPLECTENS.

CHOLERA, quam nobismet nunc tractandam proponimus, etsi haud raro in Britannia nostra, aliisque cœlis temperatis, conspiciatur, regiones tamen tropicas multo frequentius infestat; quibus in terris, furore nondum subacto sævit, multaque millia, et juniores viribus fretos, senioresque, subita atque opinata morte, e medio rapit.

Nostra in regione, ut scripsit SYDENHAMUS, in Augusto mense apparet, atque se continens intra ejus limites, vix in priores Septembris hebdomadas evagatur. Nonnunquam tamen accidit,

æstate vix ad finem perducta, præsertim quum aër siccus calidiorque, in humidum frigidumque mutetur, ut e tenebris erumpat. Qui tamen terras alio sole calentes incolunt, huic morbo totum per anni cursum obnoxii sunt; et hi quidem tum maxime, quum æstates sævissime candent, ad eum procliviores sunt. Cholera sæpe epidemica esse videtur, præcipue in India Orientali, aliisque locis calidis; sed in Britannia rarius ita sese habet. De tempore vitæ, quo constitutio ad morbum maxime prona est, nihil fere dicemus, quippe unusquisque, qui vivit et vitales auras suscipit, malo obnoxius est. Eam vero ætatem, qua temperamentum est præter solitum irritabile; eosque simili constitutione sive natura, sive casu præditos, maxime infestat. Hinc dicit ARETÆUS, qui de Cholera bene scripsit, "juventus, et ea quæ robustior est, haud fere corripitur, senectus rarissime, pueri magis quam senes." Quibusquam in regionibus, infantes, dum dentes gingivas erumpunt, huic morbo obnoxii sunt, atque in iis sæpissime lethalis est. Homines etiam adultos invadit, præsertim si minus robusti, et temperamento sanguineo præditi sint; vel corpora sua solito irritabiliora, luxu aliisve causis, reddiderint.

Illust. CULLENUS verbis sequentibus Chole-

ram definiit: "Humoris biliosi vomitus, ejusdem simul dejectio, anxietas, tormina, surarum spasmata." Atque hic morbus varie dividitur, ut variant auctores. CULLENUS Choleram *Spontaneam* habet, tempestate calida, causa nulla manifesta, oborientem, et *Accidentalem* rebus acribus ingestis inductam. Alii in Idiopathicam et Symptomaticam partiuntur. Divisio tamen, quæ mihi longe optima videtur, est in Choleram *Veram* vel *Biliosam*, et *Spasmodicam*, ut in Nosologia Doctoris GOOD nuncupantur; illa in cœlis temperatis ingruente, hac autem regionibus calidis fere propria.

Quamvis veteres, inter quos Patrem ipsum Medicinæ enumerare licet, speciem Biliosam bene descripserint, Spasmodicam tamen iis, vel etiam CULLENO notam esse, minime constat; aliis in temporibus antiquis vere depictam, aliis olim prorsus ignotam esse, affirmantibus. Mihi tamen videtur, talem morbi formam, qualis oras Orientales nuper peragravit, scriptoribus etiam sæculi proximi, aliquatenus latuisse. SYDENHAMUS miserum interdum intra horam vicesimam quartam morti occumbere tradidit; atque ideo hanc speciem ei medico patuisse, nonnulli inepte putant; quid enim mirum? si signis solito gravioribus,

temporis spatio supradicto, Cholera quoque Biliosa ægrum improviso opprimat. Præterea, species quæ sub lite est, inter eas a CULLENO traditas vix locum habere potest. Cholera huic auctori *Spontanea* idem morbus ac Cholera *Indica* SAUVAGESIO * videtur esse, quam a specie Spasmodica haud parum discrepare satis probari potest. CULLENUS porro, omnem varietatem Choleræ pendere ex secretione bilis aucta habuit; omnes vero medici recentiores, qui morbos Indicos tractaverint, consentiunt, speciem Spasmodicam non a bile aucta oriri, sed, e contrario, quum hæc copiose se ostendat, id demum sanitatis redeuntis pignus certissimum haberi.

SIGNA.

HOMINEM Cholera præeuntibus signis modo corripit, modo gradum improviso insidioseque profert. Nunc anorexia, nausea, aliisque æger laborat, atque sese præter solitum habet; nunc dum somnus eum dulcis arcte complectitur, hostis invadit, atque haud raro ante diem arripit.

---

* Nosol. Method. tom. ii. p. 354.

In utraque Choleræ varietate signa multa similia fert morbus: in forma autem Spasmodica multo graviorem sese ostendit. Quum Cholera Biliosa quivis ægrotat, vomitus enormes adsunt, atque per alvum degeritur. Dejectiones interdum vomitu priores accidunt; sæpius tamen simul occurrunt. Quod primum ejicitur, colorem subviridem induit, valdeque amarum est; paulatim in flavum mutatur; ac denique bilis supra infraque erumpit, nonnunquam, ut testatur CELSUS, "nigra et varia;" hepar enim supra modum stimulatum, suo munere non apte fungitur, atque sanguis niger, in bilem nondum conversus, immutatus evadit. Jamjam Cholera occupatum tormina ventris, et tenesmus facessunt; spasmi membra præcipue inferiora, musculosque abdominis accipiunt; ad brachia etiam, quæ miris modis agitantur, extendunt. Sitis non levanda, cardialgia, nauseaque urgent. Urina subfusca est, aliquandoque sedimentum lateritium deponit. Dysuria vel etiam ischuria quibusdam in exemplis adest. Morbi initio sanguinis circuitus haud multum afficitur, paulatim vero pulsus fit celer, debilis, intermittitque; extrema sunt frigida; sudor circa pectus frontemque erumpit, neque cor micans diutius percipitur; anima deficit; vultus collabitur; oculi

deprimuntur; totumque corpus in ruinam trahitur.

Hisce de Cholera Biliosa expositis, narrare omnia quæ similia in forma Spasmodica occurrant, vix oportebit; nunc, igitur, ad signa huic propria progredior. Hic quoque simul et vomitus et dejectio est; colluvies autem non biliosa, sed instar albuminis ovi; regioni epigastricæ calor vel dolor exardens semper adest, et æger aquam gelidam, non concedendam, etiam atque etiam exorabit; spasmi membra ejus et abdomen sævissime torquent; vires paulatim exhauriuntur, adeo ut ex debilitate et spasmis vix spiritum trahere possit; vox faucibus hæret, atque angor sæpe animum premit, quem vultus manifeste declarat. Oculi hebescunt, tunicaque adnata sanguine rubet; urina nulla redditur. Cutis rugosa et arida est, brevi tamen tempore sudore gelido humescit, mortis prodromo. Manus nunc mutationes insolitas subeunt, ungues adunci et lividi, et palmæ exsangues fiunt; ferreumque in somnum miserandus dilabitur.

Hæc quidem sunt, quæ in hoc morbo notanda videntur. Choleræ tamen, ut aliorum morborum qui genus humanum facessunt, symptomata, in diversis multo variant. Alii etiam animum, dum

extrema patiantur, retinent; in aliis, affectiones cerebri satis perspicuæ sunt. Hic spasmi magis magisque ingravescunt; illic vix quidem conspiciuntur. Vomitus et dejectio nonnullis in exemplis omnino desunt, quibus SYDENHAMUS Choleræ *siccæ* nomen imposuit. Pruritus etiam, vix tolerandus, usque ad mortem quosdam vexat; et trismus et hydrophobiæ symptomata interdum adfuisse dicuntur.

Prius autem quam causas hujus mali advenimus, notare non alienum erit, bilem aliquando in Cholera etiam Spasmodica tandem ejiciendam esse, quum Natura ipsa medente, æger cito valetudinem pristinam instaurabit.

CAUSÆ.

CAUSÆ quæ Choleram movent ab auctoribus medicis, in Proximas Remotasque dividi solent; atque eas quoad sciri possint, nunc describere conabimur. Quicunque ante oculos Choleram Biliosam habuerit, vix dubitare potest, quin doctiss. CULLENO assentiatur, causam ejus proximam esse bilem in intestina supra modum effusam. Præterea vero in secretione sic aucta, bili tantum acrimoniæ inesse videtur, quantum ad motus tumul-

tuosos intestina excitare valeat. Causæ quæ hanc bilis secretionem, cum auctam tum depravatam, promovent, vel quæ Excitantes a medicis nuncupantur, plurimæ sunt. Inter has ad malum conferre videntur, sudor repressus, quum humores qui per cutem excerni debent, in corpus rejiciuntur; frigus ad pedes admotum; aqua gelida in ventriculum sumpta, corpore supra modum calente: fructus quicunque immaturi (ut vulgo dicitur), poma nimirum, pyra, cucumeres, melones, uvæ, fungi, aliaque ad coquendum difficiliora. Medicamina acriora, emetica violenta, et purgativa drastica, hunc morbum concitare feruntur; nec exempla desunt in quibus cholera nauseam maritimam, ingentemque timorem, secuta sit. Memorari quoque debet, calor aëris præter solitum validus, qui sensum et mobilitatem totius corporis mirum in modum auget; ex quo hepar admodum stimulatum, fel et copiosius corruptumque præbet. Luxus denique, inter causas haud immerito recensetur; procliviores enim ad malum, qui laute atque opipare, quam qui parce et cum temperantia vivunt, sine dubio videntur:

——— " At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita."

De morbo a contagione originem ducente infra perpauca dicemus.

Atque hæc sunt quæ præcipue choleram biliosam moveant; alterius vero hujus morbi formæ, causæ non adeo in aprico sunt; adhuc latent, et fortasse diu latebunt. Juvabit tamen novisse, quæ hac de re a medicis proposita fuerint. Hic morbus lethifer, nunc per multos annos Indiam a Gange usque ad Indum grassatus est; de cujus origine, et quomodo propagatur, tot opiniones, quot auctores extant. Non desunt medici, qui hanc pestilentiam, plurimos eodem tempore locoque invadere intuentes, a contagione specifica originem ducere, affirment. Hanc ad sententiam confirmandam, plurium in eadem domo ægrorum exempla proferunt; necnon hominum, qui longe remoti, et nulla consuetudine cum infectis conjuncti, feliciter libereque vixerint. Alii e contrario malum contagiosum esse omnino abnegant; nec pauci quidem, artis Apollineæ doctissimi, hanc in sententiam iverunt. Fundamento vero lubrico nequaquam innituntur; medici enim, aliique ægrotis solatium adhibentes, huic morbo ut plane contagioso, non ita obnoxii sunt. Oppida quoque exercitusque haud raro mane adortus, priusquam terræ nox atra in-

cumbat, plurimos dira cum strage interemit. Sæpe etiam per paucos dies magis magisque sævit, deinde paululum recedit, majore cum vi modo rediturus. In his aliisque, quæ limites nostri commemorari vetant, cholera morbis contagiosis dissimilis videtur: sed hoc in medio relinquemus.

Quoniam Epidemicus neque ætati, nec sexui, nec ordini parcit, omnibus correptis qui, si auram qua vescuntur, excipias, nihil commune habent; plurimi quidem medici aëra atmosphæricum sicut causam mali remotam spectant. De mutatione tamen quam subierit, nil pro certo habemus. Quidam originem ejus ad oxygenium imminutum ascribere non dedignati sunt; nulla autem fides huic opinioni inesse potest. Vis porro aëris electrica aliis rea est; atque facinoris molitorem hic detexisse credunt: "It is this deficiency (vis electricæ), produced in this way (aëre attenuato), and other ways, which I consider the great cause of the Epidemic *." Vix denique, ad cœli intemperiem potest attribui malum, neque enim gradum sistit dum temperatura vel imum vel summum calorem ostendat; nec quum nimbis

---

* Vide ORTON's Essay on Epidemic Cholera.

longe perstantibus, humus dulci uligine lætetur, nec diuturna siccitate areat. Igitur de rebus hunc Epidemicum excitantibus cæca caligine erramus. Observare nihilominus liceat, choleræ spasmodicæ, per vigilias, vel frigus ullo modo ad corpus admotum inductæ, exempla sporadica scatere. Causam vero proximam, quæ æque fere occultatur, nonnulli in vi cerebri generisque nervosi diminuta, constare existimarunt.

SECTIO CADAVERUM.

Nunc ad indicia in eorum cadaveribus incisis reperienda, quos cholera extinxerit, festinamus: hæc enim rationem quorundam saltem signorum medico præbent. Si eos, qui a cholera biliosa necati sint, inspiciamus, sequentia notanda sunt: viscera sæpe, a vomitu et dejectione, quibus ægri ante mortem vexati erant, a sede solita dimota sunt: intestina omnia, sed imprimis duodenum, fœdata sunt bile, sese in ventriculum pariter extendente; tenera facta sunt; et quædam etiam signa inflammationis et gangrænæ ostendere, quidam putant; ductus biliosi mirum in modum amplia-

ti sunt, atque vesica fellis magnopere distenta est.

Inspectiones miserorum vero, quos cholera spasmodica e medio sustulit, alia manifestant. In capite, sanguis niger venas piæ matris refercit, et cerebri ventricula interdum aliquantulo seri impleta sunt. In thorace, pulmonum venæ etiam sanguine turgent. Latus dextrum cordis eodem modo distensum videtur, parte sinistra omnino depleta, dum pericardium nihil liquidi includit. In abdomine plurima notanda deprehenduntur. In venis omenti, mesenteriæ, et ventriculi, sanguis satis abundat; ventriculus et intestina materie glutinosa infarcta reperiuntur, et signa inflammationis, nonnunquam gangrænæ, induunt; peritonæo quod eis obducitur, sanitatis humiditas deest. Hepar plerumque, sanguine in eo congesto, magnitudine auctum; vesica fellis, bile locuples, multum etiam ampliata, et ductus choledochus, antea viventi spasmo arcte astrictus, mortuo nunc relaxatus est, nec longius vetat quin atra bilis in intestina labatur. Lien haud raro cruore distenditur: urinæ denique vesica, omnino vacua, penitus collapsa est.

DIAGNOSIS.

Cholera, ait doctissimus SYDENHAMUS, "ab aliis morbis facile cognoscitur;" ac si in forma simplici sibique propria ingruat, hoc verissimum est.

Signa, autem, quæ ex oxydo arsenici in ventriculum casu consiliove sumpto oriuntur, choleram adeo referunt, et diagnosis ita obscura est, ut quum periti quoque medici erraverint, res sic confusas dignoscere vix ego conabor; sed notare juvabit, oculos, in venenatis, lachrymis suffundi; pharyngem œsophagumque sensum constrictionis obtinere; labra, linguam, guttur, partesque adjacentes inflammari; totumque corpus maculis lividis, nonnunquam eruptione miliari obtegi. Hæc, quoad scio, vix ac ne vix quidem choleræ unquam obtingunt. Historia porro mali, si exquiri possit, et venenum ipsum vel oculis vel arte chemica detectum, cladem satis manifestam redderent. Hæc evenire quoque possunt, tempore anni choleræ prorsus alieno.

PROGNOSIS.

Cholera cujuscunque speciei sit, vel quacun-

que ætate accidat, semper morbus periculosissimus est. De ea igitur cautissime sententiam nostram dicere oportebit. Nisi medicus cito adsit, atque morbo jam incipienti fortiter obstet, spes salutis nulla erit. Si signa omnia mitiora evadant, adeo ut vomitus, dejectiones, spasmique parum torqueant; arteriarum pulsus haud multum turbetur; oculique nitentes non ex luce recedant; atque extrema calore sibi proprio gaudeant, eventum faustum prædicere licebit. Sin autem miserandus deliret, ægre spiret, cor micans vix detegi possit, sudor gelidus totum corpus pervadat, cutis rugosa, digitorum apices lividi, et ungues incurventur; si oculi hebetes sub palpebris lateant; facies hippocratica adstet, aliaque signa supradicta ingravescant, omnia sunt ingrata, mors certissime impendet, citoque veniet. Si ægrotus per triduum dolores sustentaverit, bene ominari licebit; si, contra, in morbum (quo nihil facilius) relapsus erit, extemplo moribundus jacebit.

RATIO SANATIONIS.

In sæculis longe præteritis, choleræ biliosæ sanatio satis perspecta erat, atque ad eandem pa-

rum mutatam, recentioris quoque ævi medici fugiunt. Quoniam bilis copiosa ac præter solitum acris, intestina et ventriculum tantopere vexat, blandis diluentibus haud parce propinatis, eluenda sunt; eoque aqua pura, a primis temporibus adhiberi solebat. Gelida a plurimis antiquorum, scilicet, ARETÆO aliisque, maxime laudatur, atque nuperius CLEGHORN *, Hispaniæ medicorum vestigiis innitens, eam commendavit; nunc tamen aqua tepida ab omnibus usurpatur. Æger quoque jure pulli tenerioris, infusione panis perusti (quæ summa laude afficitur), vel lini, et aqua hordei, utatur. Enemata etiam mucilaginosa crebro injicienda sunt. Medicamina evacuantia nonnulli extollunt; remedia quidem nil adjuvantia, sed nociva, nimirum, præclarus CULLENUS habebat; idemque testatur SYDENHAMUS, scribens, medicum alvum ducentem, non ab eo differre, qui oleo flammam restingueret. Proximum est medendi consilium, intestinis sic elimatis, cum motus abnormes compescere, tum spasmos solvere; ad quod efficiendum, Opium, cui nihil aut simile aut secundum, maxime valebit. Forma in solida adhibeatur, quamvis ventriculus

---

* Diseases of Minorca.

irritatus haud raro respuat; Tinctura cum æthere, aqua Menthæ Piperitæ conjuncta, aliove quovis vehiculo quod gratiorem reddat, melius conveniat. Sin autem ventriculus juncundissima retinere abnegans, haustum quoque rejiceret, enemata ex opio mox injicienda sunt, semper opem ægrotanti latura. Alia inter remedia ad hoc malum sanandum utilia, nullum fortasse quam Colombæ radix majorem laudem meruit. Si PERCIVAL * dignus fide habetur, ab ejus usu, tormina etiam molestissima consopiuntur; vomitus dejectionesque sedantur; bilis acrior contunditur; tumultus intestinorum quiescit, atque æger fractas vires cito redintegrat.

Modi choleram spasmodicam tractandi, prout variat tempus, variarunt. Medendi autem consilia, si morbum respicimus, haud difficile constituenda videntur. Imprimis vero, cor ipsum malo oppressum liberare conandum est; spasmi, actionesque inordinatæ compescenda, et functiones læsæ integrandæ sint, dum vires labentes suffulciremus. Remedia quæ ad hæc quæsita sæpius respondebunt, seriatim brevissimeque notabimus. Sanguinis detractio nuper a plurimis laudata est,

* Vide Essays, Medical and Experimental, vol. ii. p. 7.

atque usum experientia satis probavit. Sunt pauci vero qui utilitati ejus non assensere; sin autem animum ad narrationes recens ex India transmissas adhibemus, medicus vix culpa vacare videbitur, qui hoc tantum remedium neglexerit. Ad spasmos profecto leniendos magnopere confert; actionem cordis ciet, circuitumque sanguinis, non antea percipiendum, promovet; vires denique reficit. Opium, venæsectione prægressa, extemplo adhibendum est, quod æque ac in specie priore, tum in spasmis relaxandis, tumque vomitu sedando, pollet. Submuriatem Hydrargyri cum Opio conjunctam augere ejus vim sedativam, quibusdam etiam apud Indiam medicinam exercentibus, visum est; et hujus mineralis grana quindecim vel amplius semel devorantur. An talis in Calomelane dos hæreat, multi dubitarunt; secretiones vero, vel diminutas vel prorsus deletas instaurando, sanatio multo promovetur. A medico hoc malum tractante, balneum quoque calidum multo cum commodo usurpatum est; vim enim spasmis resolvendis satis efficacem præbet, dum sudor exoptandus tota per membra permanat. Caute tamen cavere oportebit, ne remedium adeo faustum in damnum mutetur, quippe quia, animo ægrotantis deficiente, sanguinis con-

gestui, qui multum pertimescendus erit, ita faveatur. Ægrum e balneo surgentem cubile acciperet, atque ei stragulis bene succincto potiones stimulantes haud parca manu præbendæ sunt. Dum haustus ex alcohole, vino (a CELSO multum laudato), Camphoræ mistura, Æthere Sulphurico, Oleo Menthæ Piperitæ, aliisve confectos epotet, cataplasmata ad epigastrium, vesicæque aqua calida impletæ ad extrema admovenda; et partes spasmis convulsas linimentis stimulantibus sedule perfricandæ sunt.

Hisce remediis morbus adhuc in limine plerumque submovetur; sin autem correptus auxilia serius arcesseret, atque malum jam per longas moras convaluerit, parum, eheu! medicus prodesse poterit. Rebus ita se male habentibus, ad galvanismum, remedium extremum atque ultimum, a quibusdam decurritur, ut vis generis nervosi caduca revocetur. Nec vero desunt exempla quibus moribundum paululum renovaverit, nulla tamen in quibus sanitatem pristinam ulli reddiderit.

FINIS.